



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

51. An mulier teneatur denunciare Confessarium illam sollicitantem, si ante sollicitationem ei præbuisset multa munera intuitu eleemosynæ absque malo fine? Et quid, si contingat ante impensa beneficia ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

non presumitur, neque asserenda est nisi dono adiungantur verba praeferebant sollicitationem, in quo casu sollicitatio consistet in illis verbis, non in dono. Tum quia, donum non potest etiam ad benevolentiam honestam, ad gratitudinem, ad aliud donum pinguius, quare cum sit indifferens, inde colligi non potest assertivè, donum traditum fuisse ex affectu turpitudinis, imò id suspicari temerarium est, cum donum in bonam partem accipiendum sit, & sic soluitur secundum argumentum & tertium: nam mulier malum cogitans de Confessario, peccat, & imprudens est illius cogitatio, cum in bonum sensum trahere possit finem, quem habuit Confessarius in donatione annuli, putando donationem sibi factam fuisse, vel in signum gratitudinis, si Pœnitens illi fuit aliàs liberalis largitione elemosynarum, vel ex affectu paternitatis spiritualis, &c. Tum quia, non est sollicitatio ex eodem Trimarcho n. 19. quando pecunia tribuitur Pœnitenti pauperi, quia praesumptio stat pro Confessario ex titulo paupertatis: ergo neque donare diviti, quia praesumptio boni finis, qui inesse potest huic donationi, facere potest favore Confessarii, pro qua in dubio praesumendum est. Demum huiusmodi sollicitatio, si qua adest, solum dubia, & praesumpta est, ac proinde non est conformis Bullae Gregorianae, quae punit certam sollicitationem non praesumptam, consequenter nulla est obligatio denunciandi Confessarium donantem.

3. Sed ego in hoc casu distinguendum esse puto: nam si quis v.g. daret Pœnitenti ramusculum, seu florem, vel donum minimi valoris, tunc adhaerere opinioni Patris Bordonii, & ita docet Escobar *tr. de Confess. sollicit. p. 1. q. 3. §. 2. n. 14.* Secus autem si donum esset magni valoris, consideratis circumstantiis personarum, & in hoc casu non mihi displicet opinio Trimarchi, nam extra occasionem, & impertinenter ad confessionem dare donum considerabile mulieri, quae confiteretur, est maxima praesumptio contra Confessarium: tum quia, ut ait Escobar loco citato n. 16, non solum prohibetur aperta sollicitatio, sed etiam palliata tacite, vel amphibologicè demonstrata, qualis videtur donatio muneris, de qua loquimur: tum quia muneribus faminae facile allici, & provocari solent: tum quia in hoc venenoso crimine nec subterfugium, nec velamen relinquendum est, quo simile flagitium lascivi Confessarii cooperire valeant.

RESOL. LI.

An mulier teneatur denunciare Confessarium illam sollicitantem, si ante sollicitationem ei praebuisset multa munera intuitu elemosynae absque malo fine?

Et quid, si contingat ante impensa beneficia Confessarium sollicitasse, & per tempus sollicitationi incumbendo maxima dona, & beneficia impertiri faminae sollicitatae, an sit denunciandus talis Confessarius?

Et quid, si ipsi famina nulla fuerit Confessarius sollicitans impertitus beneficia, sed famina filijs, marito, parentibus, vel fratribus? Ex p. 10. tract. 13. & Misc. 3. Ref. 46.

§. 1. Negativè responderet Sancius in *selest. disp. 11. num. 55.* ubi sic ait: Nec denunciandi aderit obligatio, si famina sollicitetur a suo maxime Benefactore, aut amico. Potest namque contingere Petrum Confessarium beneficia plurima faminae impendisse, ipsamque gratitudinis vinculo constringi non tantum damnum Confessario exortendum impedire, verum bonis ipsam afficere. Inhumanum ergo esset faminam obligare sui Benefactoris auctorem damni esse. Imò si contingat ante impensa beneficia, Confessarium sollicitasse, & per tempus sollicitationi incumbendo, ma-

xima beneficia impertiri faminae sollicitatae, non denunciandus erit. Quia licet dum aggressa est sollicitationem, non aderat exculatio ex gratitudine ad denunciationem omittendam; postea tamen dum munera elargitur etiam ob implendam libidinem, Benefactoris naturam non subterfugit; cui damnum parare inhumanum esset. Praeterea quod se private faminam beneficiis in futurum suscipiendis, esset idem ac in proprijs bonis jacturam sentire: diximus autem supra faminam constringi denunciare, cum bonorum suorum jactura. Deducitur etiam, non constringi faminam sollicitatam denunciare Confessarium, qui est ipsi faminae nulla fuerit impertitus beneficia, vel fratribus. Quia gratitudinis natura non solum ad gratias agendas obligat pro beneficiis in propria persona susceptis, verum in persona mariti, filiorum, parentum, & fratrum. Cum horum bona vel mala, ut supra dictum est, propria reputentur. Hucusque Sancius.

2. Sed haec omnia sunt destructiva nostri Sacri Tribunalis; unde merito illa refellit, & damnat Carolus de Baucio in *Miscellan. cas. Confess. tom. 2. opus. 2. quest. 230.* ubi sic ait: Haec opinio non est mihi probabilis, & judico esse temerariam, & scandalosam contra bonum publicum totius Christianitatis. Et ratio mihi est, licet obligatio ex gratitudine oriatur ex lege naturali, tamen obligatio revelationis Confessarii, qui sollicitavit Pœnitentem in actu Confessionis, non solum oritur ex lege positiva humana, sed magis etiam oritur ex lege naturali superioris ordinis, quam ex gratitudine; nam revelatio Confessarii sollicitantis ad Tribunal Sancti Officii tendit primario ad abolitionem peccati praeteriti, & futuri, & ad conservandum bonum totius Reipublicae Christianae, & ut detereantur alij Confessores, ne incendant in tale peccatum. Confirmatur; magis Creatura tenetur servire Deo ex infinitis titulis, & praecipue ex gratitudine beneficii creationis, conservationis, Redemptionis, &c. quam Benefactori maximo, aut magno amico: revelatio autem Confessarii, cum tendat ad destructionem peccati, est in honorem Dei, & non revelare, est in favorem Creaturae, sed inter Creatorem, & Creaturam nulla datur comparatio: ergo, ita Baucius. Quae quidem ab ipso dicta, sunt adeo vera ut merito Sacra Congregatio Indicis novissime inter alias opiniones hujus Auctoris, hanc deleuit ex suis Operibus, ut testatur est Mihi Reverendissimus Pater Martinus tunc illius Congregationis Secretarius, nunc vero Ordinis Praedicatorum Generalis dignissimus.

RESOL. LII.

An Confessarius, si laudet penitentem ex pulchritudine, venustate, &c. dicatur illam sollicitare, & ideo ex hoc sit denunciandus? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 18.

§. 1. Negativam sententiam probabilem esse putat Antonius Soula in *aphor. Inquis. libro 1. in Reclat. cap. 3. q. 4. n. 5.* ubi sic ait: Confessarius, qui pulchritudinem penitentis, & venustatem laudat, licet in certis antiquarum constitutionum contra illas non faminis antiquarum constitutionum violare novam constitutionem Gregorij. Ita ille. Unde in verbo illo *probabilis*, docet negativam sententiam etiam in terminis Bullae Gregorianae esse probabilem; sed, ut dixi, seclusa constitutione Gregoriana, Confessarium putat in tali casu non esse denunciandum, quod etiam docuit *opus Confess. sollicit. tract. 1. cap. 1. n. 10.* ubi sic ait: Ex his colligo primo, poenae hujus decreti non manere subiectum Con-